JNDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIS ANNO MDCCCXXVI.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXVII.

INSTITUENDARUM.

CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS.

Civibus Literarum Studiosis

S. P.

RECTOR

SEBASTIANUS GIRTLER

PHIL. ET MED. D.

Quae dona, suffragante Illustrissimo Viro, Comite Stanislao Wodzicki Reipublicae Cracoviensis Praeside a Senatu Urbis Amplissimo in publicam Universitatis Literariae Jagellonicae Bibliothecam anno hoc currente illata fuerunt, haec breviter exponenda censuimus.

I. Codex typis impressus membranaceus Cracoviae. *a.* 1535.

Conscientia, Mille testes: Juris Provincia lis, quod speculum Saxonum vulgo nuncupatur, libri tres, opera vigilanti in correctiorem redacti materiam, adiunctis simul glossis aliisque addicionibus noviter recollectis pro interpraetatione textus magis necessariis. — Annotata insuper in marginibus habentur loca legum Jurisq. Municipalis Maideburgen. Materiam textus et glossarum approbantia declarantiaque grato lectori magnum afferentes commodum. (sic). Haec in fronte in limbo xylographico; folio verso sub icone Sigismundi I. *Jn Regia Poloniae Cracovia Hieronymus Vietor excudebat mense Maijo Anno MDXXXV, cum gratia et privilegio S. Reg. Maj. Poloniae ac Sarmatiae, ne quis infra decennium hoc idem imprimere vel alibi impressum huc advehere aut venundare audeat sub poenis in privilegio expressis.*

Dedicationem elegantissimam Sigismundo Augusto subscripsit Nicolaus Jaskier Senatus Cracoviensis a Secretis folio *IIItio*: *Cracoviae mense Maijo* MDXXXV. Sunt autem Speculi Saxonum folia 160 libris III. Textus antiquis maioribus, tituli

gothicis maximis, glossa antiquis minoribus typis. Articuli Speculi Saxonum in concilio Basileensi reprobati typ. cursivis, foliis non numeratis tribus, quae ab erratis folio $1\frac{1}{2}$ excipiuntur.

Jnscriptio Tomi secundi est in simili forma; similique limbo ornata: *Juris Municipalis Maideburgensis Liber vulgo Weichbild nuncupatus ex vetustissimis exemplaribus vigillanti opera nuper latinitati datus summaque cum diligentia recognitus, adjunctis simul glosis et textus interpretationibus ad id necesariis. Annotata preterea in marginibus habentur loca legum Jurisq. Saxonici provincialis, materiam textus et glosarum approbantia elucidantia atque lectori magnam afferentia utilitatem.* Folio verso sub insignibus, quae cymba Łodzia est Petri Tomicii Episcopi Cracoviensis, cui Nicolaus Jaskier hunc tomum dedicavit: *Jn Regia Poloniae Cracovia Hieronymus Vietor excudebat mense Aprili Anno MDXXXV. cum gratia et privilegio S. Reg. Maj. etc.* ut supra in primo Tomo. Sunt Tomi secundi folia numerata 65, praemissis non numeratis foliis 8, et aliis duobus in quibus summariorum articuli, sive iunctim 75. fol. Omisso jure feudali, cuius epitomen Johan. de Lasko in Statutorum syntagmate anno 1506 suo loco collocaverat, pergit Nicolaus Jaskier ad suum opus, scilicet: *Promtuarium iuris Provincialis Saxonici, quod Speculum Saxonum vocatur, tum et Municipalis Maideburgen. summa diligentia recollectum et ad communem editum utilitatem. Adiuncta praeterea habentur ex li. feu. certa loca ad communem modernorum in iure civili usum magis utiliora.* Folio verso, ut Tomo I. et II. anni et impressoris nota *Hier. Vietor mense Mayo* 1535. cum mentione de privilegio in decennium iterata. Hoc promtuarium auctor dedicavit Senatui Crac. d. XV. Maii A. 1535. Est autem hoc opus foliis 80 numeratis, praemissis non numeratis quatuor, in quibus inscriptio et praefatio ad Senatum Cracoviensem, cui operam suam dedicaverat Nic. Jaskier. Ceterum est hoc opusculum ordine alphabetico ex vulgaribus indicibus ad tria iura Saxonica scil. Provinciale, Municipale et Feodale Jus confectum. Haec editio speculi Saxonici et Juris Municipalis prima in Polonia fuit repetita anno 1601 et anno 1602 Zamoscii per Adamum Bursium, cuius nomen in privilegio Sigismundi III. d. Grodnae d. 12. Mensis Julii A. 1601. memoratur, quod in editione Zamoscensi folio IX. et X. non numerato expressum est, nam brevem suam de Jaskieri laudibus dissertationem fol. VII. et VIII. novus editor non subscripsit. Ceterum Adami Bursii editio pro correctiore habetur. Tomo II. et promptuario anni nota 1601. Tomo I. plerumque 1602. sed sunt exemplaria in quibus anni nota 1601 etiam in primo Tomo occurrit. De Codice nostro membranaceo unico privilegium peculiare in inedito Tomo VII. Dogielii Codicis Diplomatici sub lit. OOO. fol. 48. exstare dicitur. vid. Joachimi Leleweli Bibliogr. Librorum Riga 1823. Polonice T. I. p. 173. nota K. Ceterum Codex noster videtur fuisse

Κτημα urbis Cracoviae a. 1535, sed eum emigrasse e Praetorii chartophylacio ante multos annos, vel inde colligitur, quod in fronte Codicis manu recentiori haec subscripta leguntur verba: *Successores Nobilis ac Spectabilis olim Christinae Królikowa Consulissae Cracoviensis Volumen hoc publicae utilitati D.D.D.* Anno Dni 1725. Dum igitur non paucis annis inter privatorum manus versabatur ille codex, alia folia perierunt et manu scripta restituta sunt v. g. fol. IV. non numeratum, item fol. II. III. IV. V. numerata, alia iniuriam pluviae et mucoris passa retinent maculas, quas inde hauserunt v. g. LXXII. LXXXII. etc. T. II. folio IV. summarii abscissa est margo forpice vel cultello. Utramque editionem et Nicolai Jaskieri et Adami Bursii habes, Candide Lector, descriptam a Janocio P. I. p. 46 — 49. (*Nachr. von denen in der hochgr. Zaluskischen Bibliothek befindl. Büchern Dresdae* 1747). Sed falsus est Janocius in his p. 48. quod receptionem Juris Saxonici per omnes civitates, vicos et pagos tum demum mandatis Sigismundo I. tribuerit. Etsi enim auctoritate sua Jaskieri editionem Speculi et Juris Municipalis utique Rex ille sapientissimus approbaverit, tamen non introduxit Jus Saxonum in omnes civitates, pagos et vicos, sed, ubi iam dudum vigebat, id denuo confirmavit. — Ceterum, qui Juris Saxonici partem per epitomen s. compendium in linguam polonicam verterit, primus, is Bartholomaeus Groicki fuit, primo Subadvocatus Cracoviensis, deinde Notarius Camerae s. vectigalium et portoriorum. vid. *Bentkovii Literat. Pol.* T. II. p. 213. 243. 264. scilicet a) Ordo *iuris et iudiciorum municipalium.* b) *Articuli iuris Maydeburgensis* c) *Ordinatio et sportularum et mulctarum.* d) *Tituli iuris Maydeburgensis*, quorum librorum editiones primae circa a. 1558 in lucem prodiisse dicuntur. Ultima autem horum opusculorum editio fuit Premisliae a. 1760. cum enchiridio Cerasini s. Kirschsteinii in typogr. S. J. cum privilegio Augusti III. Jdem Groicius Carolinam Nemesin quoque transtulit in linguam vernaculam. Sed Paulus Szczerbic integrum opus et Speculi Saxonici et Juris Municipalis demum a. 1581 Polonice, ut vulgo fertur, in suo typographeio, certe suis impensis Leopoli evulgavit. Opus eius folio typis gothicis pulcherrimis impressum duabus partibus constat, quarum prior Speculum Saxonicum ordine alphabetico cum glossa continet pagg. 526 num. 12 non numeratas. Quod in usum privatim suum transtulisset Auctor, Syndicus Civitatis Leopoliensis, per annos XI., id jussu et hortatu Magni Johannis Zamoscii et amicorum in lucem tandem, idque cum Manuscriptis codicibus antiquis et Latine et Germanice scriptis collatum cum glossa, se emittere profitetur. Posterior pars complectitur Jus Municipale, idque suo ordine cum glossa Nicolao Firleio Castellano Biecensi dedicatum d. 10. Maji 1581. qui dies in dedicatione prioris partis illi magno heroi Joh. Zamoscio inscripta expressus est. Continet haec pars pagg. 215 numeratas, 8 in fronte non numeratas, in fine indicem

ad utrumque volumen pagg. 14. Post errata haec leguntur Polonice: *Leopoli apud Paulum Szczerbicium A. D.* 1581. Dictio in versione hac est purissima et elegantissima; Szczerbiciana editio repetita fuit Posnaniae a. 1610. Varsaviae 1646. cum articulis securitatis, de quibus vid. *Bentk.* l. c. p. 214. seqq.

II. Codex membranaceus antiquus, Speculum Saxonicum et Jus Municipale continens, ut videtur a. 1765. iterum vestitus Fol. I. recto typis impressus titulus: *Jus Saxonicum Magdeburgense* PER SERENISSIMUM CASIMIRUM MAGNUM REGEM POLONIAE *Juris Supremi Regalis Theutonici Provincialis Magdeburgensis Castri Cracoviensis* FUNDATOREM *Magdeburgo ascitum Advocato et Scabinis ejusdem Subsellii* COLLATUM *in Thesauro Arcis Cracoviensis originaliter Anno Domini* 1356. LOCATUM *atque per* SERENISSIMOS SUCCEDANEOS SUOS REGES POLONIAE SERENISSIMAMQUE REMPUBLICAM *constitutione* GENERALI REGNI *A. D.* 1677. *non interruptim usque ad* MODERNUM SERENISSIMUM STANISLAUM AUGUSTUM REGEM POLONIAE ET MAGNI DUCATUS LITHVANIAE FELICITER REGNANTEM *in Anno Domini* 1765. *approbatum.* Folio II*do* recto Casimiri Regis privilegium a. 1356. in crastino Scti Francisci *Vol. Leg. I.* 144. 148. Folio III. recto Speculum Saxonicum. *Jncipit reistrum juris Meideburgensis. Primum capitulum est scriptum cum ruberica I. Gott der gebe siner sele rat.* II. Fol. VII. verso col. a. v. 24. post verba: *von den driin vardingin* CCCXC colore rubro, *Hy beginnit sich wichbilde recht,* colore nigro *Kaisir Otto I. von den hokin ob si missetun.* Omnes indicum articuli colore nigro initialibus miniatis, ceteris minusculis nigris. Folio VIIII. recto col. a. desinit index *von der iudin eit.* CXII. Folio X. incipit textus rubro col. *von der werlde beginnt allerirst*, caetera nigro. Omnes fere literae sunt minusculae. Jnitiales tantum unciales, quaedam nondum pictae. Folio LXX. recto col. a. 8. colore rubro. *Hy beginnit sich Wichbilderecht das Keisir Otte der rote czu Medeburc bestetegte nach der clugistin vnd der wiczcegistin rate uon dem Lande und spricht.* Folio LXXXIX. verso p. 174 col. a in fine jurisjurandi Judaeorum CXII. *das dich velle adonai und sine gewaldige Gotheit amen.* Anni in Codice nota nulla, sed fama fert eundem codicem fuisse illum, quem Casimirus Magnus in Castro Cracoviensi deponendum curaverit a. 1356, nec obstat traditioni huic, quod privilegium ipsum interciderit, ut videre licet in confirmatione hujus privilegii a Rege Vladislao Varnensi a. 1444. facta Vol. Leg. I. 143. nam expressa est ibidem de Codice servato mentio. Scripturae genus congruere videtur anno 1356. purum et nitidum. Si quis tamen credere maluerit recentiorem esse hunc codicem, habeat sibi opinionem hanc, sed cur id credat, non habebit. Magnam quoque auctoritatem huic codici parat omnis glossarum absentia. Pagina ultima finito textu haec legitur nota eaque alia manu, nec sane temporis ejusdem. *Nota reliquias in cruce mea,*

quam habeo in ecclesia scte Marie, primo lignum scte crucis, Bartholomey, Nicolay, Symonis et Jude, Barbare, Margarete, Katharine, Procopii, Leonardi, Pankracy, Eustachy martyrum et confessor. XI. millia martyrum, indulientie sunt in toto XXVII. anni confessis et contritis. Scripta hec sunt per manus Andree Czarnisse advocati summi Juris theutonici Castri Cracoviensis in die scte Margarete Anno dni MCCCXCVIII. Col. II. sunt quaedam aunotata huc pertinentia, in fine: *Eyn jezlicher mag yngesegil vm yekliche zache, dy vor gehegetem Dinge nicht vorvestet ist, czu ym czyn mit seinis eynes hant* etc. Ultimo folio recto *capitulo qui potiores in pignore habeantur vel finali.* — *Nota de latitudine et longitudine mansus franconici per hos versus:*

Ulnis bis septem fac virgam, jungito pugnum,
Bis senis datus ex hijs sit tibi mansus etc.

Folio verso *Initium Evangelii S Johannis*, item Jura juranda obedientiae Polonice et Germanice. Vestitui erant insignia Judicii summi Teutonici recenter adglutinata, sed haec iam non vidimus. —

III. Tertium donum Jll. Praesidis Comitis Stanislai Wodzicki et Senatus Amplissimi est: Codex picturatus Balthasaris Boehmii continens privilegia Civitatis ab a. 1257. plebiscita, Wilkoere, Wilkierze Pol. et iura collegiorum opificum. Sed ille egregius codex alio tempore describetur.

IV. Donum praestantissimum quoque adtulit nobis Jllustrissimus Comes Josephus Zaluski, Magnificentissimus Universitatis Jagellonicae Curator, a Viro doctissimo Josepho Senkowski Orientalium Linguarum Professore Petropoli missum. Volumen integrum Aegyptiacum papyraceum; cuius longitudo 5 cubitos 20 pollices, latitudo in utroque cornu 6 in media parte $6\frac{1}{4}$ pollices complectitur. Constat autem hoc Volumen X. chartis continuis, glutine junctis, columnis vero XXVII. quae duabus lineolis deorsum ductis distinguuntur. Initium Voluminis erat in umbilico positum more apud Romanos et Graecos insolito, apud quos finis voluminum ad umbilicum esse solebat. Totum volumen est anopisthographum. Jn utroque cornu pars papyri vacua eaque aequalis fuisse videtur, sed quae pars erat vacua in fronte, ea iniuria temporis rerum edacis, dimidia tantum remansisse creditur. Ut chartae glutine iunctae non ejusdem sunt magnitudinis, ita quoque columnae differunt varia et diversa latitudine. Jllarum mensurae hae sunt; vacua pars pollices $9\frac{7}{8}$ ad umbilicum, deinde $12\frac{7}{8}$. $16\frac{5}{8}$. $18\frac{7}{8}$. $10\frac{4}{8}$. $14\frac{6}{8}$. 15. $19\frac{6}{8}$. $14\frac{1}{8}$. $5\frac{2}{8}$. (scriptura impleti $2\frac{2}{8}$ vacui 3 in fine.) Harum mensurae $9\frac{7}{8}$ vacuae papyri; deinde pollices $6\frac{7}{16}$. $5\frac{7}{8}$. 4. $4\frac{7}{8}$. $5\frac{3}{8}$. $5\frac{1}{8}$. $5\frac{2}{8}$. $4\frac{5}{8}$. $6\frac{3}{8}$. 2. $3\frac{2}{8}$. $2\frac{7}{8}$. $2\frac{6}{8}$. $3\frac{7}{8}$. $3\frac{6}{8}$. $6\frac{2}{8}$. $4\frac{2}{8}$. 5. $5\frac{4}{8}$. 4. $4\frac{4}{8}$. $5\frac{4}{8}$. $4\frac{6}{8}$. 5. $4\frac{9}{16}$. 4. $4\frac{4}{8}$. 3, vacuae papyri. Tres primas columnas occupant icones a sinistra ad dextram facie conversae priores usque ad Osiridem s. Regem, ceterae a dextra sinistrorsus Regem intuentes. Reliquas columnas textus implet manu scriptus varia; ut opinamur et demotica et hieratica scriptura et hie-

roglyphis intermixtis. Occurrit enim saepius bos Apis, praesertim in prioribus columnis, aves, rastra, sistra in ceteris. Textus est plurimam partem nigro colore s. atramento scriptus, quaedam rubro colore, s. minio. Prima columna has icones habet: primum vehitur cymba majori Deus, an homo, nescio, cum facie accipitris sedens in media scapha. — Jn prora stant tres accipitres, quasi itineris duces; in puppi ad gubernaculum filo clavum tenens, nauta etiam cum facie accipitris. Navem hanc praecedunt sive Dii sive homines, unus facie accipitris, duo canino ore, Anubim forsitan repraesentantes, unus humana specie. Omnes gerunt scuticam et uncum, ut vulgo Dii Aegyptii gestare solebant. Secunda columna forsitan Jsis cum unco, scutica et baculo, mox alia mulier cum sistro, ceteris altior. Antecedunt eam forsitan duo sacerdotes, alter cum ave in capite, alter cum alio ornamento, ut verisimile est, e plumis confecto, eoque dimidio. Hae figurae omnes a sinistra ad dextram ora conversa habent. Sic quoque tertia columna sive Rex ipse, in sella satis affabre facta, sedens, sive Osiris mitra ornatus, quali caput figurae I. in mensa Jsiaca Pignorii tectum est, caret tamen mitra nostra cornibus bovis s. arietis quae apud Pignorium cernuntur. Eadem mitra apud Pignorium occurrit Sect. IV. n. 32. Rex autem omnium iconum maxima figura. Jnde omnes figurae ad Regem conversae sinistrorsus. Prima volumen papyri tenere videtur, in qua quid stylo scribere putatur, facie accipitris est, nescio an non Mercurius Aegyptius, Thaut. Sub volumine in ϛηλῃ s. mensula s. columella lotus et urna. Mox mulier ceteris longior, sed rege brevior, deinde duo an sacerdotes an dii, nescimus, facie humana. Tum demum sequitur textus. Deo juvante, anno proximo opere lithographico totum volumen eadem forma, qua est, in lucem dabitur, et nunc quoque datum fuisset, nisi brevitas temporis impedivisset, quominus id fieret.

Videtis Juvenes ornatissimi, quantopere curae sit Praesidi Viro Jllustrissimo et Senatui Amplissimo Urbis et Jllustrissimo Curatori Universitatis, ut literarum et artium studia apud nos floreant. Ea est autem litterarum et disciplinarum dulcedo, ut omnes per se ad se scientia alliciat, quibus natura noverca non fuerit. Qui autem eruditionem et scientiam nihili faciunt, hi procul a nobis absint: sed quibus jucundum et gratum est discere, hi scholas nostras adeant et frequentent. Uberrimus diligentiae fructus non deerit his, qui diligentia et opera sibi non defuerint. —

ORDO THEOLOGORUM.

Nicolaus Janowski S. Theol. Dr. Moral: et Pastoral: et Eloquent. Sacrae Prof. P. O. Can: Ecclesiae Cath. Crac. h. t. Facult. Theol. Decanus, Jud. Sacr. Consist. Gener. Episcopat. Dioeces. Crac.

Horis pomerid. 1 — 2 diebus quinis per hebdomadem, scilicet die Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Saturni, tradet Theologiam Moralem ad mentem Ecclesiae Romanae Catholicae. Jdem praeleget etiam Pastoralem Theologiam et praecepta Eloquentiae sacrae.

Florianus Kudrewicz Ord. S. Basil. M. S. Theol. D. Sacrae Script. Prof. O. P.

Horis matutinis 9 — 10 exceptis diebus Jovis, quotidie Archaeologiam biblicam, Hermeneuticam generalem et specialem Veteris Testamenti ac Philologiam tradet, demum explicabit Psalmos, incipiendo a Psalmo XLV.

Matthaeus Kozłowski Ord. Praed. S. Theol. Dr. Hist. Eccl. Prof. P. O.

Hora matutina 10—11, quotidie, die Jovis excepto, exponet Historiam Ecclesiasticam, methodo Alberi.

Jdem, uti Prof. Extraord. tradet iisdem diebus Theologiam Dogmaticam methodo Klüpfelii hora pom. 2 — 3.

ORDO JURIS CONSULTORUM.

Adamus Krzyżanowski J. U. D. P. P. O. h. t. Fac. Jur. Decanus.

Hora 9 — 10 diebus Lunae, Mercurii et Saturni, diebus autem Martis, Jovis et Veneris $8\frac{1}{2}$ — 10. Historiam Juris antiqui Polonici, deinde Codicem Civilem in Regno Poloniae vigentem, ratione Codicis Civilis Austriaci et Legum antiquarum Polonicarum habita, tum Codicem mercantilem, qui in Regno Poloniae obtinet, cum applicatione legum, quae apud gentes vicinas in usu sunt, explicabit.

Augustinus Boduszyński J. U. D. P. P. O. Reipubl., Crac. Senator.

Hora pomeridiana 5. ad $6\frac{1}{2}$ Eo moderante Historiam Juris Romani, Jnstitutiones Justinianeas cum provocatione ad Pandectas et Codicem Repetitae Praelectionis, tandem Jus feudale tradet Vice-Professor.

Felix Slotwiński Phil. et J. U. D. P. P. O.

Hora pom. 3 — 4 quotidie, excepto die Saturni, jus Naturae universum, privatum, civitatis et gentium, nec non Methodologiam et Encyclopaediam Juris docebit. Jdem hora matut. 8 — 9. diebus Lunae, Mercurii et Saturni, jus Ecclesiasticum tradet.

Nicolaus Hoszowski J. U. D. P. S. Reipublicae Cracov. Senator.

Horis matut. 9 — 10 quotidie, disciplinas politicas tractabit, scilicet, primum Oeconomiam Nationum puram, deinde Oeconomiam politicam et Doctrinam redituum s. Financiae vulgo dictae, nec non Politiae, ac tandem Theoriam Agriculturae et Constitutionis Regni Poloniae Liberaeque Civitatis Cracov.

Antonius Matakiewicz J. U. D. Ord. S. Stanislai IV. Classis Eques P. P. O.

Horis matutinis a 10 — 11 quotidie exceptis diebus festis: semestri hyemali Codicem Judiciarium Civilem in Regno Poloniae vigentem explicabit et quae e Codice Civili Austriaco judiciario et legibus antiquis Polonicis huc portinent, simul exponet. Semestri aestivo Jus Criminale juxta textum Codicis Criminalis Austriaci cum applicatione Codicis Criminalis Polonici tradet.

ORDO MEDICORUM.

Adalbertus Georgius Boduszyński Med. D. Pathol. generalis, tum Therapiae generalis ac Mater. medic. P. O. P. h. t. Fac. Med. Decanus, Reipub. Crac. Protomedicus.

Horis matutinis 10 — $11\frac{1}{2}$ diebus Lunae, Martis et Mercurii, lingua latina Pathologiam generalem explicabit; diebus Veneris et Jovis doctrinam de materia medica tradet iisdem horis, tum de Therapia generali, diebus Veneris autem binis horis continuis, alternata praelectione a 10 — $12\frac{1}{2}$.

Sebastianus Girtler Phil. et Med. D. Politiae Medicinalis, Histor. Medicinae, tum Artis Veterin. P. O. P. Universitatis Rector.

Quum munere hoc et officio gravissimo districtus docendi partes ipse suscipere ne-

queat, eo moderante Julianus Sawiczewski Med D. Prof. Extr. hor. 11. cum dimidia ad 1. diebus Martis, Jovis et Saturni, Politiam Medicinae ex propriis scriptis lingua polon. tradet. Deinde ad praelegendum de Historia Medicinae, pariter ex propriis scriptis, secundum ordinem variarum theoriarum et systematum, cum necessaria recensione accedet, idque latino idiomate. Iisdem diebus ab hora 5. ad 6. pomeridie artem veterinariam explicabit, mox secundum Pilgerum, mox secundum Bojanum, aliosque Auctores.

Ignatius Woźniakowski Med. D. ab Augustissimo Imperatore Austriæ Rege Apostolico Honoris Numismate ornatus, P. P. O.

Diebus Lunæ, Mercurii et Jovis ab hora 4. ad 5. idiomate polonico Chirurgiam theoreticam, eodemque idiomate Artem Obstetriciam diebus Martis et Veneris hacce hora tradet. Iam autem diebus Lunæ, Mercurii et Jovis ab hora 11. ad 12. ante meridiem Institutiones medico-chirurgicas tradet.

Iosephus Kozłowski M. D. Anatomiæ et Physiologiæ P. P. O.

Anatomiam et Physiologiam tradet idiomate polonico, diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Veneris hora 12 — 1. Præterea tradet hyemali semestri pro opportunitate, tempore vespertino duas horas continuas Anatomiam practicam. Semestri vero æstivo Physiologiam diebus Mercurii et Veneris post meridiem ab hora 4. ad 5. tum Medicinam forensem diebus Veneris a 3. ad 4.

Sixtus Lewkowicz Med. et Chir. D. Ordinis S. Annæ III. Classis, tum Legionis Honoris Eques, Chir. et Art. Obste. Practicæ P. O. P.

Hor. pom. 3—4. hyemali semestri, æstivo autem a 6. ad 7. p. diebus Martis, Jovis, et Saturni in curationibus Chirurg. rite instituendis, Auditores ad praxim formabit. Horis matut. 8—9. hyemali semestri, vernali et æstivo ab 6. ad 7. Clinicen Chirurgicam duce Richerand, obstetriciam vero ducibus Baudeloque, Boer et Widmann quotidie exhibebit.

Josephus Brodowicz M. D. Pathologiæ, Therapiæ specialis et Clinices P. P. O.

Hor. matut. 9—10. quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, Pathologiam et Therapiam specialem lingua latina tradet. Clinicam autem praxin ab hora 8—9. pomeridiano tempore per annum totum docebit, Latine studiosos Medicinæ et Chirur. sublimioris, Polonice discipulos Chir. inferioris.

Florianus Sawiczewski M. D. Pharmaciæ P. P. O.

Diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 9 matutina ad 10. e propriis schedis Pharmaciam docebit, qua finita, aquarum mineralium naturam et indolem explicabit.

Julianus Sawiczewski, Med. D. Prof. Ext.

Hor. pom. 2—3. diebus Lunæ et Veneris Thanatologiam sive Artem succurrendi apparenter mortuis tradet.

ORDO PHILOSOPHORUM.

I.) FACULTATIS MATHEMATICAE ET PHYSICAE.

Carolus Hube Phil. D. Mathesecs sublimioris P. P. O. h. t. Facultatis hujus Decanus.

Hora matut. 8—9. quotidie, exceptis diebus Saturni, tradet Analysim finitorum, calculum analytico-trigonometricum, Trigonometriam sphæricam et Geometriam Analyticam, præcipue theoriam superficierum secundi gradus, duce Hachette.

Hora matut. 9—10. diebus Lunæ, Mercurii et Veneris, calculi differentialis et integralis applicationem ad Mechanicam sublimiorem docebit.

Josephus Markowski Phil. et Med. D. Chemiæ P. P. O.

Hor. 11—12. quotidie, exceptis festis, Chemiam docebit.

Hor. 3. 4. pom. diebus Lunæ Mercurii et Veneris Mineralogiam tradet.

Aloysius Estreicher Phil. et Med. D. P. P. O.

Hor. matut. 10—11. quotidie exponet Zoologiam per semestre hyemale, ducibus Cuvier, Ocken, Jlliger, Lamark et aliis, qui hac de re tractarunt.

Hor. matut. 6—8. Botanicen tradet per semestre æstivum.

Hor. pom. 2—3. Diebus Martis et Jovis tradet doctrinam de generis humani varietate nativa per semestre hyemale.

Hor. pom. 6—8. exercitationes botanicas instituet et ad Botanicæ practicæ usum manu ducet, atque Dendrologiæ rudimenta exponet per semestre æstivum.

Romanus Markiewicz Phil. D. P. P. O.

Hor. Matut. 8½—10. quater per hebdomadem, die vero Martis ac Saturni 9—10. Physicam experimentalem ac theoreticam ad normam sui opusculi in usum Lyceorum editi, addens huic ex tractatu Physices Biotii addenda ampliora de fluidis expansibilibus et incoërcibilibus, ut de annulis coloratis, polarisatione fixa, mobili etc. ad finem vero anni doctrinam de Electro-et-Thermo-magnetismo, e propriis schedis præleget.

Franciscus de Paula Sapalski, Phil. D. Geometriæ descriptivæ P. O. P.

Horis 12—1½ Geometriam descriptivam tradet theoreticam, tum accomodatam perspectivæ umbrarum, artibus fabrilibus et Gnomonicæ, diebus Lunæ, Mercurii et Jovis.

Hor. 4—5. pom. diebus Veneris et Saturni Mechanicam et Hydraulicam per semestre æstivum.

Hora 11—12. matut. diebus Solis, opificibus et artificibus tradet Architecturam et Mechanicam practicam.

Franciscus Szopowicz Phil. D. Mathes. Infer. P. O. P. Soc. Philom. Varsov. Socius.

Hor. matut. 8—9½ semestri hyemali, diebus Lunæ, Mercurii, Jovis, Veneris, diebus autem Martis et Saturni ab hora 8—9. semestri vero æstivo a 7—8½ diebus Lunæ, Mercurii, Jovis et Veneris, jam autem diebus Martis et Saturni ab 8—9. præterea eodem semestri ab hora pom. 5—6. Algebram et tractatum de sectionibus conicis explicabit.

Maximilianus Weisse Phil. D. P. P. O.

Hor. matut. a 9½—11. Astronomiam Theoreticam, horis pomer. ab 3—4. Astronomiam practicam diebus Martis et Jovis propriis e schedis præleget.

II.) FACULTATIS LITERARIAE.

Paulus Czaykowski, Phil. D. Literaturæ Polonicæ et comparativæ P. P. O. h. t. Facultatis Phil. Literariæ Decanus.

Hor. matut. 10—11. traditis præceptis Eloquentiæ et Poëseos, per Classicorum Auctorum exempla illustratis, Auditores ad exercitia Linguæ Patriæ in utroque orationis genere ducet.

Julianus Czermiński Phil. D. Historiæ P. P. O.

Hor. matut. 11—21. quotidie, diebus Lunæ, Mercurii autem a 5—6. pom. enarrabit I. historiam antiquiorem et recentiorem. II. Geographiam Physicam et Politicam. III. Docebit artem criticam, quæ ad legendos historicos est necessaria. IV. Observationes in historiam Universalem duce Ferrando (Esprit de l' Histoire) tradet.

Georgius Samuel Bandtkie Phil. D. Bibliographiæ P. P. O. et Bibliothecarius.

Hor. pom. 1½ ad 3. die Mercurii, Veneris et Saturni, Bibliographiam profitebitur

Collegium styli cultioris duce Beckio (Artis latine scribendi præcepta Lipsiæ 1802.) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet diebus Martis, Jovis et Veneris, hora $7\frac{1}{2}$—9.

Hermanus Schugt, Phil. D. Linguæ Græcæ P. O. P.

Hor. pom. 2—4. diebus Lunæ, Mercurii et Veneris explicabit Annales Taciti.
Hor. iisdem, diebus Martis et Saturni, Sophoclis Trachinias.
Horis pom. 4—5. Styli cultioris linguæ Græcæ præcepta profectioribus tradet. Semestri æstivo enarrabit Historiam Literarum Romanarum.

Josephus Jankowski J. U. et Phil. D. P. P. O.

Hor. pom. 3—$4\frac{1}{2}$. docebit Philosophiam theoret. et practicam diebus Martis, Mercurii et Jovis; Exercitationes vero pædagogicas instituet die Lunæ. Die Veneris Historiam Philosophiæ e propriis schedis tradet.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Crac. patebit hor. pom. 2—4. hyemali, 3—5. æstivo semestri diebus Lunæ, Martis et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, speculam Astronomicam, et Hortum Botanicum invisere cupiunt, nulla hora præfinita est, dummodo tempus Prælectionibus sacrum Bibliothecario et Præfectis Museorum Mineralogici, Zoologici et Hor. ti Botan. condonare velint. Quovis tempore de commoda hora certiores facti curiosis hospitibus nunquam deerunt. Museum Physicum patebit curiosis, qui adesse dignabuntur, hora 10. matutina, finita prælectione.

Docebunt Artem pictoriam Jos. Peszke P. P. O. et Jos. Brodowski P. P. O. semestri brumali hor. matut. 8—12. Artem Sculptoriam Jos. Szmelcer P. P. O. ab hora 11—12. docebit. Linguam Anglicam tradet Hermanus Schugt 1—2. Germanicam Ludovicus Teichmann hor. pom. 2—3. Italicam Stephanus Laberi 5—6. Petrus Augustinus Ledru Linguam Gallicam docebit quater de septimana diebus Lunæ, Mercurii, Veneris et Saturni a 12—1.

Alexander Sołłowiewicz, tradet linguam Rossicam, et historiam literaturæ Rossicæ ab hora 4—5. post meridiem.

Artem saltandi Petrus Couder quater per hebdomadem hor. pom 6—7. Artem equitandi Theodorns Cogen pom. 2—3. diebus Lunæ et Jovis, diebus vero Martis et Mercurii 3—4.